



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Laudandus Deus in prosperis, & adversis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Beati qui habitant in domo tua Domine ! in saecula saeculorum laudabunt te : hoc erit otiosorum negotium, hoc opus vacantium, hac actio quietorum, hac cura securorum. S. August. in Pf. 83. 5.

Non fluctuabit (in caelo) negotium nostrum: otiosum negotium plenum solius dulcedinis, nullam interpellatum molestiam, nullam fatigatione fauciatum, nullam nube perturbatum. Negotium nostrum quod erit ? laudare Deum ; amare, & laudare : laudare in amore, amare in laudibus. S. Aug. in Pf. 147.

Deus, cum de illo nihil dignè dici possit, admittit humanae vocis obsequium ; & verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit. Id. l. 1. de doct. Chr. c. 6.

Agite in terris, quod semper in caelo facturi estis : neque enim ibi aliud opus est, nisi laus. Sanct. Thom. Vill. conc. 3. de Ass. B. V.

Nihil ita propriè quendam terris repraesentat coelestis habitationis statum, sicut alacritas laudandi Deum. Sanct. Bernardus l. 11. in Cant.

§. II.

Laudandus Deus in prosperis, & adversis.

Cantemus Domino. Ex. 15. 1. submersis Aegyptijs Israël laudat Dominum ; victu deficiente murmurat.

Cantate Deo Canticum novum. Pf. 32. 3. Canticum vetus est, quod solet canere homo vetus, qui natus ex carne caro est, & terrena sapit, ac in terrenis delectatur : & hic DEUM laudat, cum bona temporalia ab eo recipit. At Canticum novum canit homo novus, qui renovatus spiritu mentis suae coelestia sapit, & in aeternum delectatur ; & DEUM semper laudat, etiam cum flagellatur. Bellarminus hic.

Benedicam Dominum in omni tempore. Pf. 33. 2. Non solum in rebus vitae secundis, sed etiam adversis. S. Basilius hic. Tempus hominibus novimus esse diversum ; modò tribulationibus asperum, modò gaudiò blandum. Ergo in omni tempore benedicendum Dominum Propheta denuntiat ; quando & adversa patimur, & collata felicitate gaudemus. Cassiodorus hic. *In omni tempore* : ut si patiar, si affligar, si maledicar, si reprobis habear, si omnia Mundi mala contra me consentur in unum ; semper laus ejus in corde, & ore meo. Si mihi adsint prospera cuncta, semper laus erit in animo ; & nec lingua tacebit. Simon Cass. l. 4. in c. 4. Math. In omni tempore Deus ab homine benedicitur, si aequaliter in adversitate, atque prosperitate, de omnibus implacitis, grates Domino referuntur : quia in adversitate semper erudit, & probat ; in prosperitate ad meliora incessanter invitat. In adversitate ad superna ire compellit ; in prosperitate dulciter trahit. In omni firmiter tempore benedicendus est, qui unus est Deus. Quod si asperum est, quod evenit ; sive amarum, quod

accidit ; nihil tamen nisi ad profectum nostrum divina bonitas evenire permittit. Et nulla esset adversus Deum querela, si hoc crederet, aut aspiceret, mens humana ; & benediceret lingua pariter, & vita : quia nulla est benedictio linguae, nisi adjungatur benedictio vitae. Simon Cass. l. 15. de just. Chr. c. 2.

Ad annuntiandum mane &c. Pf. 91. 3. Mirabiliter vita nostra duobus est sermonibus conclusa. Mane significat gaudium, nox autem indicat tristitiam. Et ideo, quando in beneficijs ejus lati sumus, misericordiam ipsius annuntiare debemus. Per noctem verò, id est, per tribulationem, quando nos asperitates aliqua castigant, veritatem ipsius annuntiare debemus : quia merito patimur, quod delictis gravantibus sustinemus. Sic utroque tempore debemus laudes Domino confiteri. Cassiodorus hic.

Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini. Psal. 133. 1. Sed quod illud nunc ? *in noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* v. 2. S. August. facile est benedicere in diebus. Quid est in diebus ? in rebus prosperis : nox enim res est tristis, dies res lata ; quando tibi bene est, benedicis Dominum. Quando benedixit Job ? quando tristis nox erat. Ablata sunt omnia, quae possidebantur. Sed videamus, si in noctibus benedicit : *Dominus dedit, Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Job. 1. 21. Heliotropij miraculum saepius diximus cum sole se circumagentis, etiam nubilò tempore : tantus fideris amor est. Didacus Niss. D. 2. Pent. §. 4.

§. III.

Laus peccatoris rejicitur.

Praecipitur Ex. 29. 1. 14. 15. prius offerri sacrificium vituli, quod erat pro peccato ; tum sacrificium arietum, quod erat holocaustum. Abulens. in Ex. q. 9. Sacrificium, quod est pro peccato, est directè ad remissionem peccatorum : Sacrificium holocausti est ad laudem, & honorem Dei : Sacrificium pacificum est ad gratiarum actionem. Sed non est speciosa laus in ore peccatoris. Ut Deo sint accepta posteriora sacrificia ; oportet, ut illud primum praemittatur, tanquam dispositio ad alia. S. August. l. Med. c. 33. Deus meus, vita mea, fortitudo mea, & laudatio mea ! dignare melaudare te : da mihi lumen in corde, verbum in ore, ut cor meum meditetur gloriam tuam, & lingua mea tota die canter laudes tuas. Sed quia non est pulchra laus in ore peccatoris ; & quia *vir pollutus labijs ego sum.* Il. 6. 5. munda obsecro, cor meum ab omni inquinamento ; sanctifica me sanctificator omnipotens interioris, & exterioris ; & fac me dignum laudibus tuis. Octavianus in Eccl. c. 15.

Psalite Domino Sancti ejus Psalm. 29. 5.

Exultate